



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Casimirvs C. 4. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

HENRICI suspicionibus sit adnifus :
Sed provocavit ad flammam iudices in-
nocentia, & innoxius à ferro candenti
pes egregiū inculpato animo testimo-
nium dixit. Porro cum tori castissimi
custodem mors abstulisset, verita KV-
NEGVNDIS tantum thesaurū mundo
concedere, in Caufungensem, quem
ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se
abdedit; cuius disciplinā cum Vra neptis
ejus laxaret, verbis sapius nequidquam
increpitam, tandē etiam manu objur-
gavit, & digitorum luculentas notas in
genā istā reliquit, nullā deinceps arte
confusas vel deletas: moriturā de celo
Henricus obviam iit, ad sistendū ludici
orbis miraculum, Imperatores conju-
ges sed virgines: ad tumulū ejus multis
vita reddita; qui cum KVNEGVNDEM
matrem suam salutarent, probarunt
immeritō virginitati sterilitatē objici;
quid? quòd nec ipsa gleba, sub quā vir-
go cubat, infæcunda fuit, sæpe in thus
& sar conversā, persuasura mortalibus,
nec fragrantiorē esse castimoniā vir-
tutem, neque felicius ullum germen.
Ex vitā apud Gretserum.

S. CASIMIRVS C. 4. Martii.

CASIMIRVS Casimir: Regis Polo-
niæ F. necdum ephebis egressus in
ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus.
Coronam Vngariæ quanto alii studio
I 3 vel

vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templâ obibat; purpura non corpus, sed ciliciû tegebat: somnum humi capiebat, gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula; adgemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turba, medicinam facilem nuptias suadent, concessam agro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cum candidissimo equo in vectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M. CCCC. LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum virgineum unâ cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent mactare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre. *Ex vita.*